

plestis, nisi blasphemia, sacrilega, ridiculosa, et falsa. Pugnasti tanto tempore contra divinos libros diabolicis libris, et cœlestem doctrinam infernalim putei fumo suffundere et offuscare laborasti. Nisi estis irretiti telarum vestrarum retibus, animalia stulta et aves incircumspectas dolosis laqueis aequaliter conati estis. Sed non est tale, non est tale vestrum commentum, non est illius artis vel virtutis Judaica textura, ut quadrupedem vel avem saltem ultimam illaqueare valeat. Non viriles vel muliebres telas orditi estis, non viriles vel muliebres perfecisti, sed juxta veridicum prophetam, in jam dictis et similibus fabulosis næniis, aranearum solummodo telas texuistis. Quæ multo longoque labore compactæ, nimia fragilitate sui, nullum præter Judæum velut muscam vilissimam fallere vel capere potuerunt. Ut ergo huic jam quinto contra vos capitulo tandem finis congruus imponatur, breviter præce-

A dēntia replica. Libris divinis prius, postmodum fabulosis, contra nos agere nisi estis. Libris divinis vos vicimus. Fabulosos nullius momenti esse ostendimus. Quid igitur restat? Hoc, scilicet ut, fabulosis abjectis, divinos sic intelligatis, ut in eis et ex eis Christum, hoc est, juxta vos, Messiam, non fallacem, sed veracem; non venturum nisi ad judicium, sed eum qui jam venit, qui jam de Virgine nativitate sua, absque aliquo peccato in mundo conversatione sua, cœlesti prædicātione sua, divinis miraculis suis, non vili, ut putatis, sed pretiosa morte, resurrectione, ascensione sua mundum ad æternam vitam prædestinatum redemit, salvavit, glorificavit, credatis, adoretis, glorificetis. Credo enim jam vos tantis testibus, tantis rationibus ita B obrutos confutatosque esse ipsa veritate, ut nihil ultra repugnare, nihil querere debeatis.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

EPISTOLA DE TRANSLATIONE SUA

Qua fecit transferri ex Arabico in Latinum sectam, sive hæresim Saracenorum, anno 1143.

Singulari veneratione colendo, totis charitatis brachiis amplectendo, individuo cordis nostri hospiti, domino BERNARDO Clarævallis abbatii, frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas, salutem, ad quam suspirat, æternam.

(201) Mitto vobis, charissime, novam translationem nostram, contra pessimam nequam Machomet hæresim disputantem. Quæ nuper, dum in Hispaniis morarer, meo studio de Arabica versa est in Latinam. Feci autem eam transferri a perito utriusque linguae viro magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non ei adeo familiaris, vel nota erat, ut Arabica, dedi ei coadjutorem doctum virum dilectum filium et fratrem Petrum notarium nostrum, reverentiae vestræ, ut aestimo, bene cognitum. Qui verba Latina impolite vel confuse plerumque ab eo prolati poliens et ordinans, epistolam, imo libellum multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum perfecit. Sed et totam impiam sectam vitamque nefarii hominis, ac legem, quam Alcoran, id est collectaneum præceptorum, appellavit, sibique ab angelo Gabriele de cœlo collatam misserrimis hominibus persuasit, nihilominus ex Arabico ad Latinitatem perduxo, interpretantibus scilicet viris utriusque linguae peritis, Roberto Retenensi de

C Anglia, qui nunc Papilonensis Ecclesiæ archidiaco-nus est, Hermano quoque Dalmata, acutissimi et litterati ingenii scholastico. Quos in Hispania circa Iberum astrologicæ arti studentes iuueni, eosque ad hæc faciendum multo pretio conduxii. Fuit autem in hoc opere intentio mea, ut morem illum Patrum sequerer, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam, ut sic dicam, hæresim, silendo præterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, et scriptis atque disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hæc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum, inquam, omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquæ confluerunt, facere volui: ut sicut ejus lethali peste dimidius pene orbis infectus agnoscat, ita quam execrandus et conculcandus detecta ejus stultitia et turpitudine a nescientibus agnoscat. Agnoscatis ipsi legendi, et sicut arbitror, ut dignum est, deslibitis, per tam nefarias et abjectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, et a Conditore suo per spurcissimi hominis sectam nefariam, etiam post Redemptoris gratiam, tam leviter aversam. Specialiter autem vobis ista omnia notificavi, ut et tanto amico studia nostra communicarem, et ad scri-

(201) Huic fere similis est pars epistolæ libri iv.

bendum contra tam perniciosum errorem illam vestram, quam nostris diebus vobis Deus singulariter contulit, doctrinæ magnificentiam, animarem. Nam licet hoc perditis, ut aestimo, prodesse non posset, responsionem tamen condignam, sicut contra alias hæreses, ita et contra hanc pestem Christianum armarium habere deceret. Quam si superfluam esse quibusdam visum fuerit, quoniam quibus resistere debeant, talibus armis immuniti non adsunt, noscitur in republica magni regis quædam fieri ad tutelam, quædam fieri ad decorum, quædam ad utrumque. Nam ad tutelam facta sunt a Salomone pacifico arma, licet tempore suo minus necessaria. Præparati sunt a David sumptus, parata et ornamenta templi dijini constructioni et ornatui deputata. Sed nec illa ejus tempore alicui usui profecerunt, sed in usus divinos post ejus tempora transierunt. Manserunt itaque ista aliquanto tempore otiosa; sed incumbente necessitate apparuerunt, quæ diu vacaverunt, fructuosa. Nec tamen, ut mihi videtur, opus istud etiam hoc tempore otiosum vocare debeo, quia, juxta Apostolum, vestrum est et omnium doctorum virorum, omnem scientiam extollentem se adversus altitudinem Dei, omni studio, verbo et

A scripto impugnare, destruere, conculcare (*II Cor.* x). Quod si hinc errantes converti non possunt, saltem infirmis Ecclesiæ, qui scandalizari et occulte moveri levibus etiam ex causis solent, consulere et providere doctus, vel doctior, si zelum habet iustitiae, non debet negligere. Propono inde vobis Patres omnes, et præcipue Patrem Augustinum. Qui licet Julianum Pelagianum, licet Faustum Manichæum verbis et labore suo ad fidem rectam convertere nequiverit, non tamen quin de eorum errore magna contra eos volumina conderet omisit. Sic de reliquis sui temporis, et non sui temporis, hæreticis, sic de Judæis, sic de paganis faciens, non solum contra eos sui temporis homines armavit, sed etiam ad nos, et ad posteros omnes maximæ ædificationis et instructionis charisma transmisit. Si igitur reverentiae vestræ in his laborandi Deo aspirante voluntas fuerit (nam facultas per ejus gratiam deesse non poterit), rescribe, et mittemus librum, quemadmodum misimus.... ut per os vestrum ipsius laude repletum, spiritui nequitiae spiritus benignus respondeat, et Ecclesiæ suæ thesauros gazis vestræ sapientiae suppleat.

SUMMULA QUÆDAM BREVIS

Contra hæreses et sectam diabolicae fraudis Saracenorum, sive Ismaelitarum.

Summa totius hæresis, ac diabolicæ fraudis sectæ Saracenorum, seu Ismaelitarum, hæc est. In primis, primus, et maximus ipsorum execratus est error, quod Trinitatem in unitate deitatis negant. Sicque dum in una divinitatis essentia trium personarum numerum non credunt, in unitate numerum evitantes, dum ternarium numerum, inquam, omnium formarum principium atque finem, sicque rerum formatarum causam et originem atque terminum non recipiunt, Deum licet ore consentes, ipsum penitus nesciunt. Ipsi autem devii, ipsi variabiles, principium varietatis, et alteratis [alteritatis] omnis, videlicet binarium solum in unitate contentur, scilicet ipsam divinam essentiam et ejus animam. Unde Deum pluraliter loquentem introducit suum Alcoran, quo nomine legem suam nuncupant. Et interpretatur Alcoran ex Arabico, Collectio præceptorum. Illi autem cæci Deum Creatorem Patrem esse negant, quia secundum eos nullus fit pater sine coitu. Christum itaque, licet ex divino Spiritu conceptum, Dei Filium esse non credunt, nec etiam Deum, sed prophetam bonum, veracissimum, omnis mendacii atque peccati immunem, Mariæ filium, sine patre genitum, nunquam mortuum, quia morte non est dignus. Imo cum illum Judæi interficere vellent, de manibus eorum elapsum,

C ascendisse ad astra; ibique nunc in carne vivere in præsentia Creatoris, usque ad adventum Antichristi. Quem, dum venerit, Christus idem gladio suæ virtutis interficiet, et Judæos residuos ad legem suam convertet; Christianos autem, qui jam a longo tempore legem ejus atque Evangelium perdiderunt, tum propter ejusdem discessum, tum etiam propter apostolorum atque discipulorum mortem, legem suam perfecte docebit. In qua omnes Christiani, sicut et illi primi discipuli, salvabuntur. Cum quibus simul et omnibus creaturis, seraphim, quem ipsi dicunt archangelum unum, sonante buccina, morietur et ipse Christus, postea resurrecturus cum cæteris, et ad judicium suos ducturus, eisque auxiliaturus, sed nequaquam judicaturus. Deus enim solus D judicabit; prophetæ vero et legati singuli cum suis, et pro suis, intercessores aderunt et auxiliatores. Sic enim docuit eos miserrimus atque impiissimus Machumet, qui omnia sacramenta Christianæ pie-tatis, quibus maxime homines salvantur, abnegans, jam pene tertiam humani generis partem, nesciimus quo Dei judicio, inauditis fabularum deliramentis diabolo et morti æternæ contradidit. De quo, quis fuerit, et quid docuerit, propter eos qui librum istum lecturi sunt, ut scilicet quod legerint, melius intelligent, et quam detestabilis tam vita quam

doctrina ipsius exstiterint, sciant, dicendum vide-
tur.

Putant etiam quidam hunc Nicolaum illum, unum
ex septem diaconibus primis exstitisse; et Nicolai-
tarum ab eo dictorum sectam, quæ et in Apocalypsi
Iohannis arguitur (*Apoc. ii*), hanc modernorum Sa-
racenorum legem existere. Somniant et alii alios,
et sicut lectionis incuriosi, et rerum gestarum
ignari, sicut et in aliis casibus falsa quælibet opini-
nantur. Fuit autem iste, sicut etiam Chronica ab
Anastasio Romanæ Ecclesie bibliothecario de Græco
in Latinum translata apertissime narrat, tempore
imperatoris Heraclii, paulo post tempora magni et
primi Gregorii Romani pontificis, ante annos quin-
gentos fere et quinquaginta, Arabs natione, vilius
genere, antiquæ primum idololatriæ cultor, sicut et
alii Arabes tunc adhuc erant, ineruditus nullarum
pene litterarum. Strenuus in singularibus, et callidi-
tate multa, de ignobili et egeno in divitem et fa-
mosum-provectus. Hic paulatim crescendo, et con-
tiguos quosque ac maxime sanguinis propinquos
insidiis, rapinis, incursionibus frequenter insisten-
do, quos poterat furtim, quos poterat publice occi-
dendo, terrorem sui auxit. Et sæpe in congressio-
nibus factus superior ad regnum suæ gentis aspi-
rare cœpit. Cumque, universis pari modo resisten-
tibus, ejusque ignobilitatem contemnentibus, vide-
ret se hac via non posse consequi quod sperabat,
quia vi gladii non potuit, religionis velamine et di-
vini prophetæ nomine rex fieri attentavit. Et quia
inter barbaros barbarus, inter idololatras et ipse
idololatra habitabat, atque inter illos quos, utpote
præ cunctis gentibus, tam divinæ quam humanæ
legis expertes et ignares, faciles ad seducendum esse
noverat, conceptæ iniurianti dare operam cœpit. Et
quoniam prophetas Dei magnos suis homines au-
dierat (*Rom. ii*), prophetam ejus se esse dicens, ut
aliquid boni simulareret, ex parte illos ab idololatria,
non tamen ad Deum unum, sed ad suæ, quam par-
turire jam cœperat, hæresis fallaciæ traducere co-
nabatur. Cum interim, iudicio illius qui terribilis
in consiliis dicitur super filios hominum, et qui mi-
seretur cui vult, et quem vult indurat, dedit Satan
successum errori, et Sergium monachum, hæretici
Nestorii sectatorem, ab Ecclesia expulsum, ad par-
tes illas Arabiæ transmisit, et monachum hæreticum
pseudoprophetæ conjunxit. Itaque Sergius conjun-
ctus Machumet quod ei deerat supplevit, et Scriptu-
ras sacras tam Veteris Testamenti quam Novi, se-
cundum magistri sui Nestorii intellectum, qui Sal-
vatorem nostrum Deum esse negabat, partim, prout
sibi visum est, ei exponens, simulque apocrypho-
rum fabulis eum plenissime imbuens, Christianum
Nestorianum effecit. Et ut tota iniuriantis plenitudo
in Machumet consueret et nihil ei ad perditionem
sui vel aliorum deesset, adjuncti sunt Judæi hæreti-
co. Et ne verus Christianus fieret, dolose præcaven-
tes homini novis rebus inhianti, non Scripturarum
veritatem, sed fabulas suas, quibus nunc usque

A abundat Machumet, Judæi insibilant. Sic ab optimis doctoribus Judæis et hæreticis Machumet instructus, Alcoran suum condidit, et tam ex fabulis Judaicis quam ex hæreticorum næniis conjectam nefariam Scripturam bârbaro illo suo modo contexit.

Quod paulatim per tomos a Gabriele, cujus jam nomen ex sacra Scriptura cognoverat, sibi allatum mentitus, gentem Deum ignorantem lethali haustu infecit, et more talium, oram calicis melle liniens, subsequentे mortifero veneno, animas et corpora gentis miseræ, proh dolor ! interemit. Sic plane ille impius fecit, quando et Christianam et Judaicam legem collaudans, neutram tamen tenendam esse confirmans, proprio [probando], et

B repropiavit [reprobus reprobavit]. Inde est quo Moysen optimum prophetam suis, Christum Deum majorem omnibus exstitisse confirmat, natum de Virgine prædicat, nuntium Dei, Verbum Dei, Spiritum Dei fatetur ; nec nuntium, Verbum, aut Spiritum, ut nos, aut intelligit, aut fateur. Filium Dei dici, aut credi, prorsus deridet. Et de humanæ generationis similitudine vaccinus homo Filii Dei æternam nativitatem metiens, vel gignere, vel generari Deum potuisse quanto potest nisi denegat et subsannat. Resurrectionem carnis sæpe replicando astruit. Iudicium esse in fine sæculi non a Christo, sed a Deo exercendum esse non negat. Illi tamen iudicio Christum, ut omnium post Deum maximum ac seipsum ac gentis suæ præsidium adsuturum, vesanit. Inferni tormenta, qualia sibi libuit, et qualia adinvenire magnum pseudoprophetam decuit, describit. Paradisum non societatis angelicæ, nec visionis divinæ, nec summi illius boni, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor. ii*) ; sed vere talem, qualem caro et sanguis, imo fæx carnis et sanguinis concupiscebat, qualemque sibi parari optabat depinxit. Ibi carnium et omnigenorum fructuum esum, ibi lactis et mellis rivulos, et aquarum splendentium, ibi pulcherrimarum virginum et mulierum amplexus, et luxus, in quibus tota ejus paradius finitur, sectatoribus suis promittit. Inter ista omnes pene antiquarum hæresum saceres, quas diabolo imbuente sorbuerat, revomens, cum Sabellio Trinitatem abnegat, cum suo Nestorio Christi divinitatem abjectit, cum Manichæo mortem Domini disfletur, licet regressum ejus non neget ad cœlos.

His et similibus non acquisitionis, sed perditionis populum imbuens, a Deo plenissime avertit. Et ne evangelius sermo ultra in eis possit habere locum, velut omnia quæ sunt Evangelii et Christi scientibus, cordis cōrum aditum ferreo impietatis obice obturavit. Circumcisionem insuper velut ab Ismaele gentis illius primo sumptam, tenendam esse docuit. Et super hæc omnia, quo magis sibi allicere carnales mentes hominum posset, gulæ ac libidini frena laxavit, et ipse simul

decem et octo uxores habens, atque multorum aliorum uxores, velut ex responso divino, adulterans, majorem sibi, velut exemplo propheticō, numerum perditorum adjunxit. Et ut non ex toto in honestus proderetur, studium cleemosynarum, et quædam misericordiæ opera commendat, orationes collaudat. Et sic undique monstruosus, ut ille ait (*HORAT., De art. poet.*), humano capiti cervicem equinam et plumas avium copulat. Qui, quoniam suadente jam dicto monacho ac præfatis Judæis, idolatriam ex toto et reliquit, et relinquendam quibus potuit persuasit, atque unum D̄eum, deorum multiplicitate relicta, colendum esse prædicavit, hominibus agrestibus et imperitis inaudita dicere visus est. Et quia rationi eorum hæc prædicatio concordabat, propheta Dei primo ab eis creditur. Dehinc processu temporis et erroris in regem ab eis, quod concupierat, sublimatus est. Sic bona malis permiscens, vera falsis confundens, erroris semina sevit, et suo partim tempore, partim et maxime post suum tempus segetem nefariam igne æterno concremandam produxit. Nam statim Romano languescente, imo pene deficiente imperio, permittente eo per quem reges regnant, Arabum vel Saracenorum hac peste infectorum surrexit principatus. Atque vi armata, maximas Asiæ partes, cum tota Africa, ac partem Hispaniæ paulatim occupans, in subjectos sicut imperium, sic et errorem transfudit. Hos licet hæreticos nominem, quia aliqua nobiscum credunt, in pluribus a nobis dissentunt, fortassis rectius paganos aut ethnicos, quia plus est, nominarem. Quia quamvis de Domino vera aliquæ dicant, plura tamen falsa prædicant, nec baptismati, sacrificio pœnitentiæ, vel alicui Christiano sacramento, quod nunquam ullus, præter hos hæreticos fecit, communicant. Summa vero hujus hæresis intentio est, ut Christus Dominus, neque Deus, neque Dei Filius esse credatur; sed licet magnus Deoque dilectus, homo tamen purus, et vir quidem sapiens et propheta maximus. Quæ quidem olim diaboli machinatione concepta, primo per Arium seminata, deinde per istum Satanam, scilicet Machumet, proiecta, per Antichristum vero ex toto secundum diabolicam intentionem complebitur. Cum etiam dicat beatus Hilarius Antichristi originem in Ario existisse, dicit quod ille cœpit, unum [verum, vel Verbum] Filium Dei Christum esse negando, et creaturam esse dicendo, Antichristus tandem nullo modo illum Deum, vel Dei Filium, sed nec etiam bonum hominem suisserendo consummaturus est. Merito impiissimus Machumet, inter utrumque medius, a diabolo pro visus ac præparatus esse videtur, qui et Arii quodammodo supplementum, et Antichristi pejora dicturi apud infidelium mentes maximum fieret nutrimentum. Nihil quippe ita contrarium humani generis inimico, sicut fides incarnati Dei, per quem præcipue ad pietatem excitamus ex sacramentis cœlestibus renovati, Spiritus sancti

A grātia operante, illuc, unde nos dejecisse gloriabitur, ad visionem scilicet regis et patriæ nostræ, ipso rege et conditore nostro Deo ad nostrum exsiliū descendente, nosque ad se meritum revocante, iterum redire speramus. Hanc pietatis et divinæ dispensationis finem pariter et amorem, simpliciter ab initio in cordibus hominum molitur extingue. Hanc etiam in principio adhuc na scensis Ecclesiæ, si tunc permittetur, subtilitate versutissima, et pene hoc eodem modo quo postea geutem istam infelicissimam seducere permissus est, eradicare tentavit. Dicit etiam beatus Augustinus Porphyrium philosophum, postquam a Christianitate miserabiliter apostataavit, hoc in libris suis quos adversus Christianos edidit retulisse, B quod scilicet oracula Deorum consuluerit, et de Christo, quid esset, interrogaverit. Responsum vero a dæmonibus fuisse, quod Christus quidem bonus vir fuerit, sed discipulos ejus graviter peccasse, qui ei divinitatem ascribentes, rem, quam ipse de se non dixerat, confinxissent. Quæ sententia pene iisdem verbis in istis fabulis invenitur sæpissime. Quanta autem hæc diaboli subtilitas exstitit, ut de Christo aliquid boni diceret? de quo si ex toto male dixisset, nullatenus jam sibi credi sciebat, non curans quidquid Christus putaretur, dummodo divinitas, quæ maxime salvat homines, in illo non crederetur. Si quis plenius vult intelligere, legat xviii librum ejusdem Patris Augustini, et xix De civitate Dei, et 1 De consensu evangelistarum. Ibi enim, si boni ac studiosi ingenii est, conjiciet pro certo et quid diabolus tunc machinatus sit facere, sed non permissus; et quid tandem, occulto judicio permittente, in hac sola miserrima gente fecerit relaxatus. Nullo enim modo tales fabulas, quales hic scriptæ sequuntur, aliquis mortalium, nisi diabolo præsentialiter cooperante singere potuisset. Per quas post multa ridicula, et insanissima deliramenta, hic præcipue omni modo Satanæ intendit perficere, ne Christus Dominus Dei filius, et verus Deus humani generis esse Conditor et Redemptor credatur. Et hic est vere, quod per Porphyrium tunc persuadere voluit, sed per Dei misericordiam ab Ecclesia eo adhuc tempore Spiritus C sancti fervente primitiis exsufflatus, tandem miserrimo homine isto Machumet, et, ut fertur, a multis, arreptitio et cadente, quasi instrumento et organo sibi aptissimo usus, proh dolor! gentem maximam; et quæ jam pene dimidia pars mundi reputari potest, secum in æternam perditionem dimersit. Quod quare isti permissum sit, ille solus novit, cui nemo potest dicere: Cur ita facis? et qui de multis vocatis paucos electos esse dixit. Unde ego magis eligerem contremiscere quam disputare. Ista breviter prænotavi, ut qui legerit, intelligat. Et si talis est, qui contra totam hæresim istam scribere et velit et possit, cum quali hoste pugnaturus sit agnoscat. Erit fortasse adhuc, cujus spiritum Dominus suscitabit, ut Ecclesiam

Dei a magna, quam inde patitur, ignominia libe-
ret. Quia scilicet cum omnes sive antiquas, sive
modernas hæreses usque ad nostra tempora res
pondendo confutaverit, huic soli, quæ super omnes
alias tam in corporibus quam in animabus infinitam
humani generis ruinam dedit, non solum
nihil respondit, sed nec quid tanta pestis esset,
aut unde processerit, inquirere saltem vel tenui-
ter studuit. Nam et hæc tota causa fuit, qua ego
Petrus sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ minimus ab-
bas, cum in Hispaniis pro visitatione locorum no-
strorum, quæ ibi sunt, demorarer, magno studio
et impensis totam impiam sectam, ejusque pessimi
inventoris exsecrabilem vitam de Arabico in Latini-

A num transferri, ac denudatam ad nostrorum no-
titiam venire feci, ut quam suspecta et frivola hæ-
resis esset, sciretur, et aliquis Dei servus ad eam
scripto refellendam sancto inflammante Spiritu in-
citaretur. Quod quia, proh dolor! jam pene hu-
jusmodi studiorum sanctorum ubique in Ecclesia
tepefacto servore, non est qui faciat (exspectavi
enim diu, et non fuit qui aperiret os, et zelo san-
ctæ Christianitatis moveret pennam et ganniret);
ego ipse, saltem si magnæ occupationes meæ per-
misérint, quandoque id aggredi, Domino adju-
vante, proposui. Simpliciter tamen, a quoquaque
altero melius quam a me deterius, hæc fieri gra-
tum haberem.

ROBERTI RETENENSIS

PRÆFATIO

IN LIBRO LEGIS SARACENORUM, QUAM ALCORAN VOCANT, A SE TRANSLATO.

Ad dominum PETRUM abbatem Cluniensem.

Domino suo PETRO divino instinctu Cluniensi abbatii, ROBERTUS Retenensis suorum minimus, in Deo perfecte gaudere.

Ubi saepius atque serio [sero] percepi, qualiter quantumve tuus animus solius et totius boni stu-
diosus sitivit sterilem paludem Saracenæ sectæ nondum visæ fertilem efficere, suumque puteum exbaurire, propugnaculaque prorsus diruere, ego peditis tantum officio prævii functus, vias et adi-
tus diligentissime patefeci. Quis enim gressum di-
latabit? Quis non citissime curret, ut hostis erro-
rem, ipsumque victum, semetipsum autem tenere sententiam ubique firmam atque victricem agno-
scat? Latinitas tamen omnis hue usque, non di-
cam perniciosis incommodis ignorantia negligentiæ pressa, suorum hostium causam et ignorare et non depellere passa est. Tua vero pervigil pro-
videntia, sanctissimos et præelectos Ecclesiæ do-
ctores semper aspiciens, hoc nullatenus noluit. Cum illum itaque Patrem atque doctorem, cuius omnis hæreditas omni pro sua facultate venalis statuitur, ut discipulus atque filius imiteris, nus-
quam alias reflexus, speravi me, licet omnium tuo-
rum minimum, tuam gratiam promereri posse, si mundani somnii militiæque voto postposito, tuis studiose nutibus invigilarem. Unde quanquam te velut alumnum, et hæredem sapientiæ cohors sa-
pientium circumflua constipet, suas manus tuis nu-
tibus benigne conferens. quorum conventu me mi-
nime dignum adhuc sentio, vestrum tamen mu-
nusculum, puteum præsignatum pandens, saltem

C semel non oblique tuus perspicax intuitus, quæso, dignetur aspicere. Quanquam enim in effragili ful-
citum ingeniolo plura præcesserunt incommoda, tum hinc eloquii penuria, illinc scientiæ tenuitas, tum id quod sad nil agendum est efficacius, socordiæ videlicet negligentiaeque mater desperatio, mul-
tiplex ob translationis nostræ vilem et dissolubilem ac incompaginatam materiam, pro sui modo prorsus, Arabico tantum semoto velamine, tuæ maje-
stati præbendam, non minus tamen obnixe tuum obsequium aggressus sum, confisus nil effectu quassari, quo tuum votum igne divino plenum aspirat. Lapidès igitur et ligna, ut tuum deinde pulcherrimum, et commodissimum ædificium coa-
gmentatum et indissoluble surgat, nil excerpens, D nil sensibiliter, nisi propter intelligentiam tantum, alterans, attuli, Machumetique fumum, ad ipsius tuis follibus extinctum, et puteum ad illius ex-
haustum tuo vase, ignisque vestri tuo ventilabro somentum atque servorem, nostrique fontis eductu tuo discursum, patefeci. Jus igitur exigit ut hostium castrum, imo caveam delendo, puteum exsiccando, cum tu sis dextra mundi pars optima, cos religio-
nis acutissima, charitatis manus largiflua, tuorum munimen corrobores, tela diligenter acuas, fontemque suum fortius emanare, suæque charitatis vallum protensus atque capacius efficias. Si quis me utilitatis et incompositionis rerum atque verbo-
rum arguat, licet juste forsitan, obsecro tamen, ut cesset, sciens meum nunquam hic fuisse propositum floribus venenum tegere, remque vilem et abiicien-